

quam quidam ab argentariis deriuatam dicunt, licet alij antiquissimam honoratissimamque diffiniant: de secundo autem bello Siculo, mordax Epigramma iactatum est huiusmodi: Postquam bis classe victus naues perdidit, aliquando vt vincat, ludit assidue alea.

NONNULLI IN VESPASIANVM

A V G.

EXstant & in Vespasianum mordaces ioci, præcipue cupiditatem in Principe lacerantes. Fama erat eum auarissimos quosque ad amplas procuraciones promouere, vt publicis damnis ditatos, plurimis condemnaret, & ad inopiam reduceret. Hinc vulgare prouerbum: Talibus eum pro spongiis vti solitum, sitientes scilicet implendo, plenosq; vacuando. Eidem vetus auaritia ad hunc modum exprobrata est: Senex bubulcus in primordio Principatus eum adiit, libertatem gratuitam suppliciter petens: Negante Cæsare, exclamans: Vulpes, ait, pilum mutant sed non mores. Sanè licet intempestiuum hoc loco videatur, ne tamen ex his suspicio falsa fortassis animum lectoris occupet, differre nolui, quod hanc auaritiæ notam & Suetonius Tranquillus

k. j.